Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2741
Quelle:
Copyright:

ſtadt. Mira confuſio! Pars I. deficit in *Lit.* D. Pars II. tota abeſt. Sola III. integra in voce *Xtus* finitur. Eſt enim methodus alphabetica, ut in Opere ſuperiore, cui etiam in eo geminum eſt *Trivium*, quod meris aliorum Scriptorum, et maxime Patrum ſententiis conſtet. Initium ejus, quod et *Tritbemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 502. citat, eſt: *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo. Eccli.* 25. *Quia tria ad hoc conferunt ut peccatores verbum dei gratius audiant — ideo illud opuſculum triuium trium predicabilium nominaui* &c. Nihil itaque hic de *Grammatica*, *Rhetorica* et *Logica*, quod putabat *Fabricius l. cit.* omnia tamen ſtupendam Viri lectionem loquuntur, qua et in Phyſicis pro aevo ſuo valuiſſe teſtatur *Reſponſorium* ejus *Curioſorum*, quod ἀνέκδοτον viſum *Fabricio*, anno tamen 1476. *Lubecae* f. impreſſum recenſui in *Memorab. Bibl. Garell.* P. I. p. 58.

VI. *fol.* 71. Series ſacrarum Dictionum, ſeu earum potius Adumbrationes, levis momenti.

VII. *fol.* 111. *Incipit peregrinus de ſanctis.* Sermones hi a D. *Andreae* feſto ad D. *Catharinam* pertingunt, hoc initio: *Veſtigia illius ſecutus eſt pes meus.* &c. *Tritbemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 384. *declamatorem ordinis praedicatorum* vocat Autorem, qui teſte *Quetifo* in *Scriptt. O. T.* I. p. 551. e Ducatu *Sileſiae* ortus an. 1305. Provinciae *Poloniae* praeeſſe coepit. Editionibus *Sermonum* ejus tam *de tempore*, quam *de SS.* anni 1481. 1493. 1495. quas excitat *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* L. XV. p. 226. adde Editionem 1484. *ſ. l.* in *f.* et aliam *ſ. l.* et *a.* in *f.* quae *Güntheri Zeiner Auguſtae* eſſe videtur.

VIII. *fol.* 139. Sermones VIII. ἀδέσποτοι de variis materiis, quibus non eſt quod immoremur.

IX. *fol.* 149. manu Sec. XIII. ſat nitida, ſed multis vocum compendiis difficili *Canonica Collectio* ex PP. Conciliis, Pontificum Literis et Principum Decretis initio mulctata, non tamen an. 1080: vetuſtior, ut patet e *Gregorii* VII. Epiſtola ad *Herimannum* Ep. *Meteſ.* hoc anno exarata, quae in *Collect. Concc. Labb.* edit. *Venet.* T. XII. p. 497. inter Epiſtolas *Gregorii* L. VIII. n. 21. legitur, cujusque fragmentum hic *fol.* 157. inſertum eſt. Finitur in loco *Ambroſii* L. III. *de Fide* contra Arrianos: *Nec angelus* (im) *mortalis eſt naturaliter, cuius* (im) *mortalitas in voluptate* (voluntate) *eſt creatoris* &c.

X. *fol.* 165. p. 2. *Incipit liber queſtionum ſancti ieronimi. auguſtini. gregorii.* Quaeſtiones iſtae excerptae ſunt ex hermeneuticis horum Doctorum Scriptis. Quaeſtio prima incipit: *Cum in geneſi ſeptem primi dies legantur per quos deus uniuerſam creationem fecit* &c. et Solutio: *Qui ſuperius per dies ſingulos condita omnia retulit* &c. Adhaerent *Quaeſtionibus* his, quae ad numerum CXXXVI. evadunt, prolixiora loca inſcripta: *De transgreſſione mandati. De* con-